

scribere jam me prohibet temporis incommoditas. Haec pauca tamen tuam humanitatem latere nolo, imprimis quod me tantum tuae discretioni commendo: offero et dedo sumque tuus atque ero, demum mecum dum eras praesens et absens, praesens persona absens fieto sermone, quaecunq; tunc dixi vera sunt et plura de magnificentia tua penes me recondita sunt quam dixi non quidem, quae tibi in vituperium sed in laudem maximam cedunt. Sed unum te fratrem (singularissime mi fautor) admoneo et exhortor, quantus praeclarissimum tuum studium atque immensum (ut ita dicam) scientiarum thesaurus, quem penes te tota nostra Germania repositum, clamat, per illum quidem, in quo omnes thesauri scientiae reconditi sunt, in usum honestum sanctum utilitatemque fidei et ecclesiae convertere velis: habebis me tuum fratrem qui ad hoc te suis (si deus dederit unquam) orationibus juvabat. Fac ita iterum precor ut te exhortor, ut et ita de tua charitate experiar. Postremo hanc tuam quam ulteriorem mihi proposueras quaestionem solvo videlicet quid dicere vellet, quod semper appodicticam loquendo tibi manum cordi sunt aut pectori haberem. Consuetudo mihi est, ut cum ex corde loquor, ex quadam inadvertentia manu illud designo. Et crede mihi, quod oculi corporis et mentis in te fixi erant. Videbatur mihi quidem, quod tu ipse Conradus Celtis esse deberes tuis propriis ex verbis, sed omnino certus non eram. Et si mente tenes, dixi si vos ipse Celtis essetis vestram doctrinam apud omnes non commendare plenius quidem te notavi eum valedicendo mihi dicebas valet et sitis amicus Celtis. Timeo etiam, fautor peroptime, quod forte mihi ob id indignaris, quod ad librariam te non duxerim, sed crede mihi aliter non esse quam tibi dixi: commisit tamen mihi jam Vicarius et Prior loci, ut quaeram et si quid antiquitatis invenero, ejus jussu non erit tibi celatum. Vale felix. Ex Brunna raptim anno 1504 Augusti 22.

[Celtic. cod. epist. lib. XIV. ep. 9 Fol. 156].